

RE

BO

V.

G

P

DE
RESTITVTIONE FRVCTVVM

VIRTVALITER EXTANTIVM

DOMINO REM SVAM VINDICANTI

A

BONAE FIDEI POSSESSORE

FACIENDA

D I S S E R T /

JOSEPHVS ABRAHAMVS STALPF

V. I. LICENT. NEC NON ALMAE IULIO - DVCALIS
UNIVERSITATIS SYNDICVS.

Kd. 1006 =



W I R C E B V R G I

Prostat apud FRANC. XAV. RIENNER,

M. DCC. XCIII.



REVERENDISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

ILLVSTRISSIMO AC PERQVAM GRATIOSO

D O M I N O

D. GEORG. CAROL. IGNAT.

JOANNI NEPOMVCENO

L. B. DE FECHENBACH,

ECCLESIARVM METROPOLITANAЕ MO-
GVNTINAE DECANO, CATHEDRALIS WIR-
CEBVRGENSIS AC EQVESTRIS COMBVRL-
GENSIS CANONICO CAPITVLARI,

SACRAE CAES. MAIESTATIS NEC NON EMEN-
TISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI

C O N S I L I A R I O I N T I M O ,

VNIVERSITATIS WIRCEBVRGENSIS

R E C T O R I M A G N I F I C O

H A S C E P A G I N A S

D E D I C A T

Author,

PRO O E M I V M .

Quaeſtioneſ ſuriſ undique ſuſpectam per-
tractare hic intendo, de qua ad hunc
uſque diem tam diuerſe declamatur, ut ne-
que praxis, neque theoria ſibi ſatis conſtet,
ſummaeque laudis jurisconsulti vario trahere
conentur. Rem non eſſe flocci, quotidiana
edocet experientia, laborque ei dirimenda a
doctoribus impensus abunde confeſtatur. Ex-
ingenti ſcriptorum copia eos faltem allegaſſe
juvat, quorum praे aliis opera in orbe iuſti-
naneo inclaruere. Sunt enim GERH. Nood-

TIVS.

TIVS *a*), BERN. HENR. REINOLDVS *b*), MATTH.
WESENEBCIVS *c*), HARTM. PISTOR *d*), BENED.
CARPZOVIVS *e*). I. H. BOEHMERVS *f*), SAM.
COCCEIVS *g*), G. A. STRUVIVS *h*), SCHILTE-
RVS *i*), ARNOLD. VINNIUS *k*), WERNHERVS *l*),
LEYSERVS *m*), HVBERVS *n*), C. F. WALCHIVS
o), &, quem primo loco nominare debuisse,
MADIH-

a) L. 2. Prob. cap. 7.

b) Diff. ad Tir. π. de A. R. D. cap. 6, in opusc. p. 469.

c) Conf. 90, nem. 7.

d) Quæst. jur. L. 4, q. 25.

e) Jurispr. for. P. 3. const. 32, def. 28.

f) Intr. in jus π. L. 6, tit. 1, §. II.

g) Contr. L. 6, tit. 1, quæst. 9.

h) Synt. j. c. ex. 11, thes. 23.

i) Exercit. ad π. ex. 16, §. 54. seq.

k) Comment. ad Inst. §. 35, de R. D. — Select, quæst. L. 1; cap. 26.

l) P. 1, obs. 318.

m) Sp. 99. m. 4.

n) Prael. ad Inst. de R. D. num. 46. 48. — Ad Pand. tit. de R. V. num. 8. & 9. Tit. de häeredit. pet. num. 14.

o) Contr. jur. civ. sect. 2, cap. 2, §. 14, pag. 133. edit. 3.

MADIHNVS p) cum aliis pene innumeris q), qui
eam suo dignam calamo existimarunt. Cum

A 4

au-

p) Aut potius G. D. THEBESIVS in diss. de b. f. possesso-
re singulari & restitutione fructuum perceptorum immuni. Ha-
lae 1754.

q) Huc pertinent

ARIUS PINELLVS ad L. I. C. de rescind. vend. P.
2. cap. 4. n. 6.

PETR. BARBOSA ad L. S. π. Solut. matrim. P. 2, n.
48.

PEREGRINVS de fideicommiss. art. 44. n. 114.

FRANCISC. GALLVS Tr. de fruct. disp. 12. art. 36.

COSTA ad §. 35. Inst. de R. D.

HARFRECHT Disp. P. I. disp. 13. §. 11.

FACHINEVS Contr. jur. L. I. cap. 58.

HOPPIVS ad §. 35. de R. D.

DECKHERVS Relat. cam. II. n. 50.

STRYCKIVS in V. M. tit. de R. V. §. 12.

LAVTERBACHIVS Comp. jur. tit. de R. V. p. 117.
Tit. de A. R. D. p. 568. edit. Schütz.

WINTER de jure fructuum a b. f. possessoore percepto-
rum, thes. 16. Jenae 1724.

HVNNIUS Resolut. jur. civ. I. 2. Tr. I. quæst. 31.
& 32.

FRICK Diss. de jure b. f. possessoris circa fructus ex re
aliena perceptos. Helmst. 1769.

TREN-

autem neminem, utut eruditum, velut e tri-
pode dicere oporteat, illudque Graecorum
autos εργα a caeteris exigere, vitio non erit
dandum, in re vix non inveterata sentire
quidquam aliud, si veritas id postulet. Nec
est pergendum necessario, qua vulgo itur, sed
qua eundum ratio commonstrat. Hodie enim
inter mente captos ferme numerantur, qui ni-
hil scribi posse melius contendant, quam
scriptum habeamus a veteribus, nullo Achille
nullisque eloquentiae lenociniis commovendi,
ut & falsa subin a viris caeteroquin ad cineres
usque venerandis fuisse ventilata largiantur.
Scilicet vel maximi nominis sunt authores, qui
tempori inservientes, glaucoma oculis legen-
di cupidis objiciendo, doctrinis suis redditus
quidem & vestigal, minime tamen patrimo-
nium fundumque juris adauxerunt. Enim-
vero

TRENDELENBURG diss. selecta quaedam capita doctrinae de
jure possessoris circa fructuum perceptionem. Kil. 1775.

HÖPFNERVS in Comm. ad Inst. §. 333, edit. 3. p. 278.

vero illis, qui ipsimet sapere audent, aliorum
duntaxat auctoritate duci, minus convenit,
sed potius fas est, de re penitus considerata,
licet communiori menti contraria, se convi-
ctos esse palam profiteri, modo adsit animus,
solidiores adoptandi rationes, nec fidem per-
tinacia infringat.

Ostendam itaque pro viribus, bonaē fidei
possessorem domino rem suam vindicanti ad
restitutionem fructuum virtualiter extantium
omnino teneri. Cujus veritatis diligentius ex-
cutiendae animum mihi indidit ejusdem in
foro grauitas, hucusque tamen, praesertim a
theoreticis vix non omnibus, communi quasi
sensu impugnatae; praeterquam quod grata ca-
sum hujus generis mihi iamdum cognitorum
varietas propositum scribendi confirmarit.

Qua in re (ne alieno vitulo arasse arguar)
ex recentioribus facem quidem mihi practu-
lerunt

Ierunt Ivst. GVL. SALZMANNVS ^{r)} & MATTH.
PFLAVMIUS ^{s)} , non omnibus tamen, quae hoc
conferunt, usi argumentis ; quanquam non
autem eos reprehendere , cum stulta sit, ut
loquitur VELLEIVS ^{t)} , ingeniorum oculis in-
haerentium censura.

Quapropter tam in iis, quae jam alii in
rei gratiam attulerunt, eclectico more adhi-
bendis, quam in novis hunc ad scopum fa-
cientibus, praesertim autem in momentorum
ordine acuratius concinnando tota haec ora-
tio versabitur.

^{r)} Diff. de b. f. possessore singulari a restitutione fructuum
perceptorum non semper immuni, Jenae 1763.

^{s)} Diff. de b. f. possessore fructus consumtos, si exinde locu-
pletior factus, restituente, Bamb, 1773.

^{t)} L. 2. c. 36.

CAPVT

C A P V T I.

§. I.

Haud equidem ignoro, ad totum quoddam ex-
struendum quam maxime requiri, rem a
suis inchoare fundamentis, adeoque, quid quale-
ve sit, determinare. Ast vereor, ne longa de-
finitionum serie crambe, quod aiunt, bis cocta
respiat. Missis proin iis, quae unusquisque iu-
ris principiis vel tantum leviter tinctus in tritis
habet, ea solummodo definitam, de quorum in-
dole, licet millies agitata, necdum inter omnes
convenit, quaeve ad litem de nomine ansam fieri
posse ex eo colligo, quod saepius jam factum esse
novimus. Primum hic sibi locum vindicat notio
bonae fidei possessoris, qui ex ipsa rei natura le-
gumque diligenter perspectarum genio ille est di-
cendus, cui justa insidet persuasio, hunc suum
posses-

possessionis actum juri perfecto alterius non adversari. Solam enim alienae rei scientiam ad maiam fidem haud sufficere, jam advertit magnus ille noster parens CVIACIVS u) ex l. 109. de V. S. — Deinde quid intelligatur per fructus virtualiter extantes, ob denominationem non ubivis usitatam explicandum venit. Sunt autem illi, qui quidem non amplius in forma extant, per quorum tamen consumtionem locupletior factus est possessor. Quo sensu contra distinguuntur ab iis, quos fructus penitus consumtos haud inepte dixeris. Quam distinctionem licet in verbis legum non fundatam re tamen ipsa contineri, ex dicendis adparebit.

§. 2.

Quodsi suis rem momentis ponderemus, b. f. possessorem restitutioni fructuum in virtute adhuc existentium obnoxium esse, sequentia potissimum evincunt argumenta:

Se-

*) 18. obs. 25.

Secundum aequitatem naturalem, ab ipso jure civili agnitam x), nemo locupletari debet cum alterius damno. Cum autem b. f. possessor, a restitutione horum fructuum immunis, cum jactura domini ditesceret, se qui natum est, hoc superveniente id genus fructus ab illo sibi non posse retineri. Quae quidem alii aliis verbis enuntiant. Quando nimurum concurrunt duo, quorum unus certat de lucro captando, alter autem de vitando damno, hujus rationem esse meliorem leges juxta aequitatem naturalem statuunt z). Sed hoc aequa habeat in decidenda dominum inter atque b. f. possessorem causa locum habet, adeoque pro illo est pronuntiandum.

§. 3.

x) L. 206. de R. J. Arg. l. 1. & §. pr. π. de auct. tūt. l. 14. π. de condit. ind. l. 52. π. de R. V. l. 23. π. de reb. cred. l. 17. §. 4. π. de instit. aet. Cap. 48. de R. J. in 6to.

z) l. 14. §. 1. in f. de religios. l. 41. §. 1. de R. J. ibi "In re obscura melius est favere repetitioni, quam ad ventitio lucro. Ergo potius in re jure naturali, sicut hic, aperte decisa. —

§. 3.

Ad haec aliud ex ipsa rei natura haustum huic meae assertioni favet argumentum, quo ingens plane robur ei accedit. Nullum enim prudens discrimen nullaque sufficiens disparitas (de illa, quam in ipsis legibus latere putant, deinceps videamus) assignari potest, quare b. f. possessor fructus equidem in forma, non autem virtualiter extantes restituere teneatur, cum perinde sit, sive fructus ipsos, sive surrogatum e. g. pecuniam ex iis redactam possideat, adeoque per illos aut per hanc locupletetur α).

§. 4.

Accedit & hoc, consumtionem qua tales b. f. possessori ius novum comparare non posse.

Ver-

- α) Sane inter fructus extantes illos quoque, qui in virtute ad hunc existunt, intelligi posse, &, cum natura rei ac aequitas loquantur, intelligi debere, nemo, nisi in invidiam, negabit.

Versatur enim in errore, fructus suos se consumere; error vero, utut justus, quamvis a poena liberet, jus tamen veri domini intervertere errantique commodum adferre nequit, quod tamen fieret, si fructus virtualiter extantes non tenetur restituere. — Denique etiam optimae notae doctores juris naturalis hanc sententiam defendunt β).

§. 5.

β) CICERO Off. L. 3, c. 5. „Contra naturam est, ex hominis incommodo suum augere commodum.“

H. GROTIUS de J. B. ac P. L. 2. c. 10. §. 5. „B. s. possessor tenetur ad restitutionem & rei & fructuum consumtorum, si modo alias quoque tantundem consumturus fuerat: nam in hoc locupletior censetur.“

SAM. PFENDORF J. N. & G. L. 4. c. 13. §. 6. „Ratio est, quia res, cuius dominium neque meo consensu, neque ex delicto aut jure belli amisi, ad me adhuc pertinet, nisi & quidquid ex eadem provenerit. Igitur ubi eadem in alterum incidit, & is ex ea consumpta lucrum cepit, bona quidem fides ipsum merito indemnum praeflat: lucrum autem

His igitur deductis ac probatis causa stamus,
 Quodsi enim naturalis acquitas aperte rem definiat,
 jus civile autem dubiis prematur, solam illam de-
 cidendi normam esse, jurisperiti ad unum omnes
 sine controversia admittunt. Nihil itaque restat,
 nisi ostendendum, juris romani hac de re effata
 ambiguitate laborare. Quæ illico exinde patet,
 quod circa dictam quaestionem de sensu variarum
 legum in corpore juris contentarum adeo discep-
 tur, ut doctores a se mutuo in longe alia disce-
 dant. Hacque ratione coronidem, quin opus
 esset imperfectum, imponere huic dissertationi
 possem, enumerando duntaxat illos, qui in legi-

autem me reposcente nullo praetextu retinere potest, cum
 idem sit velut pars, non fructus superficies rei ad me per-
 tinentis. —

io, GOTTL, HEINECCIVS Elem. J. N. & G. L. I.
 §. 312 — 314.

bus interpretandis e diametro sibi invicem ad-
versantur.

Sed absit, ut tam levi differendi modo affer-
tio graviter defendenda absolvatur. Potius eam
menti quoque legis positivae respondere, aut
saltem stabiliri argumentis aequali vi pollutibus,
ac illa, quae ab aliis in contrarium adducuntur,
nunc plenius demonstrandum venit.

B

CA-

§. I.

Antequam vero praefixum mihi scopum proprius attingam, in decidenda quaestione praejudiciali, quinam praecipue fructus a b. f. possestori re sint restituendi? periculum faciam, theoriam ab haec tenus stabilita paulisper alienam proferendi. — Cum tota lis de fructibus a b. f. possestori domino rem suam vindicanti restituendis in legibus romanis haereat, quarum decisiones hac super causa ita variant, ut quilibet certantium inumeras pro se alleget; rem sane confecisse videtur, qui uniuersali quodam principio eas poterit conciliare. Ex ipsa legum definitione fructus sunt *emolumenta* vel ex rei corpore γ) vel intimitu ejus δ) nobis obvenientia, quae tamen non intelliguntur, nisi deductis sanctibus eorum causa

fa-

γ) l. 121. de V. S.

δ) l. 24. de us. & usufr. leg. De quibus tamen proprie huc non loquor.

factis ε). Semper itaque, ubi sermo incidit de eorum restituzione, nonnisi agitur de lucro vere tali refundendo. Regula proinde generalis adstrui potest, b. f. possessorem ex omnibus omnino fructibus, quos percepit, tantum solummodo restituere ζ), in quantum per eos proxime ex re

B 2

pro-

ζ) l. 1. C. de fruct. & lit. expens. l. 36. §. vlt. π. de haered. pet. l. 46. π. de usur.

ζ) Quid enim, si dicas, domino integros restituendos esse fructus, ac deinceps sumtus possessori fore refundendos? Scilicet impingeres in tritum illud iuris proverbium: *Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora.* — Ecce alium in finem leges b. f. possessori impensis deducendi facilitatem concessere, quam ut tantum ex fructibus quiescunque retineat, quantum eorum gratia impedit? Quod licet in eum duntaxat casum sit provisum, si sumtus a domino superveniente non statim refundantur; aperta tamen haec una legum est intentio, ne dominus, neve b. f. possessor cum damno alterius ditescat. — Vereor, ne is, qui hoc principium tanquam arbitriatum rejecerit, romanis leges potius ex verbis, quam earum ratione, invita Themide, dijudicet, innumerisque penae difficultatibus implicitur. Quo enim alio modo explicabit leges sibi invicem contrariantes? Sic l. 22, C. de R. V.

ex-

provenientes locupletior existit ^{z)}). Hinc non restituit percipiendos ^{θ)}, omnino consumtos ⁱ⁾ & merissime industriales ^{x)}, quia non proxime ex re aliena, sed duntaxat remote soloque possessoris facto percipiuntur, quem inde cum damno veri domini ditescere dici nequit. Restituit econtra fructus

extantes fructus restitui juber, quos tamen l. 28. pr. π. de usur. aliaeque pleno statim iure addicunt b. f. possessori. Haec nimurum omnia facillimi sunt explicatus, si ante pestem aequitatis regulam eo, quo nos, sensu adhibueris.

^{θ)} Excipiuntur tamen usucapti, arg. l. 4. §. 19. π. de usucap. & usurpat. cum ratio salutis publicae id exigat, l. 1. eod.

^{z)} §. 2. Inst. de offic. iud. l. 78. π. de R. V.

ⁱ⁾ H. e. per quorum consumtionem non est ditior effectus. Sic enim omnes leges, quae b. f. possessorem a restitutione fructuum consumtorum liberant, intelligi debere, tota haecce dissertatione efficiet.

^{x)} H. GROTIUS L. 2. c. 10. §. 4. "B. f. possessor tenetur ad restituendos fructus extantes rei; dico fructus rei; nam industriae fructus etiam si sine re non procederent, rei tamen non debentur." Hos igitur nequidem m. f. possessor restituit.

fructus mere naturales adhuc pendentes λ), ut & formaliter extantes nondum usucaptos μ), quatenus exinde locupletior existit. Quid autem circa fructus mixtos, h. e. partim industria aut arte, partim naturae beneficio enatos juris esto? Cum nil impedit, quominus impensarum nomine etiam industriam aut artem, sane in commodum domini non gratis adhibendam, comprehendamus; cumque b. f. possessor fructus merissime industrielles solus, ex naturalibus vero stricte dictis, i. e. unius naturae largitate existentibus nihil omnino capiat; argumento rite ducto mixtos pro rata suos faciet ν). De iis, quos dicunt virtualiter extantes, ex proposito mihi fine nunc uberior agendum.

B. 3

§. 2.

λ) l. 44. π . de R. V.

μ) l. 22. C. de R. V. l. 48. pr. π . de A. R. D. ibi "interim" l. 45^a in f. π . de usur-

ν) Hoc sensu accipio verba §. 35. Inst. de R. D. "pro cura & cultura" aequa ac si imperator dixisset: aequum est & naturale, pro rata curae & culturae b. f. possessorem fructus suos facere.

§. 3.

Atque si dicendum, quod res est, ius civile nullatenus huic sententiae obſiſtit. Leges enim proprie huic facientes nihil statuant, niſi hoc, quod b. f. poffeffor non teneatur restituere fru-
ctus *consumtos* ξ). Verum enimvero, hunc ter-
minum necessario intelligendum eſſe de fructibus omnino consumtis, h. e. de iis, per quorum consumtionem b. f. poffeffor non eſt factus locu-
pletior, ex diversis legibus eruitur. Sic l. 23. π.
de adim. vel transf. leg. id quod in corpus pa-
trimonii verſum eſt, non abſumtum eſſe, in ter-
minis enuntiat. Idem statuit l. 72. π. de leg.

2.

ξ) §. 35. alleg. "de fructibus ab eo consumtis agere non po-
teſt" §. 2. Inst. de offic. jud. "non habetur ratio consumto-
rum" l. 40. inf. π. de A. R. D. "quo caſu fructus praedio-
rum consumtos ſuos faciat b. f. poffeffor" l. 4. §. 2. π. fin.
reg. "ſi eos consumſit" l. 4. §. 19. π. de uſucap. & uſurpat.
"ſi consumti ſunt" l. 22. C. de R. V. "extantes" ergo con-
sumtos non restituit, cum hi in ſenſu juris illis opponantur,
l. 3. C. de condic. ex leg. l. 22. §. 2. π. de pignorat.
act.

2. o). Fructus autem virtualiter extantes sunt
ii, qui in corpore patrimonii retinentur, adeo-
que leges eos non considerant tanquam consum-
tos, ergo etiam a b. f. possessore sunt restituendi.

§. 3.

Praeterea Celsus in l. 49. §. 1. π. de R. V.
id meum esse pronuntiat, quod ex re mea, cuius
viādicandae mihi ius competit, superest; quidni
igitur hoc principium ad fructus virtualiter ex-
tantes recte adplicetur? — Et cum ex mente l.
48. π. eod. b. f. possessor fructus, quos percepit,
imputare possit sumtibus a se factis, ita, ut juxta
aequitatis rationem per judicis officium dominus,
admissa compensatione, excedentes ei sumtus re-

B. 4.

fun-

•) Rem omnium optime definit l. 32. §. 9, π; de donat. int.
V. & U. ibi: "Quod ait oratio consu, mifesse, sic ac-
cipere debemus: ne is, qui donationem acepit, locupletior
factus sit." Hinc igitur adpareat, distinctionem inter fru-
ctus virtualiter extantes & penitus consumtos non arbitra-
riam, sed tam rei naturae, quam ipsi juri romano esse con-
sentaneam. —

fundere cogatur, in quantum meliore praedio effecto ipsem et dicitur factus fuerit; inverso sane vestigio inde concludamus, necesse est, etiam b. f. possessorem domino rem suam repetenti ad restitutionem fructuum, per quorum consumtionem cum eius detimento locupletior existit, ob rationis paritatem omnimodo teneri. —

§. 4.

Hanc meam sententiam inirum in modum corroborat VLPIANVS in l. 15. §. 1. π. de R. V. ubi generaliter sancitur, si quis fructus perceptos distraxerit, non amplius ab eo quam pretium prae- stari. Qui autem pretium ex fructibus redactum reddit, hoc ipso fructus virtualiter extantes restituere dicendus est; ergo sane b. f. possessor ad eorum refusionem obligatur.

§. 5.

Denique & hoc formare juvat argumentum: Leges b. f. possessorem non aliter considerant, quam dominum interimisticum. Sicut igitur ad

rei

rei ipsius, ita quoque ad fructuum restitucionem
vero domino comparenti est obnoxius, nisi alia
ratio intret, cur eos sibi possit irrevocabiliter re-
tinere. Ejusmodi autem rationes sunt usucatio,
cura & cultura cum perceptione π), nec non om-
nimoda demum consumtio, ut adeo possessor non
direscat cum jactura domini, quem casum ferre
notorii juris est. In hisce tamen omnibus bona
fides tanquam conditio sine qua non requiritur ρ),
ita, ut m. f. possessoris conditio longe sit diver-
sa. — Fructus vero, quos dicunt, virtualiter
extantes b. f. possessor ideo tenetur restituere,
quia consumtio per se novum jus haud efficit σ),

B 5

sed

π) Hinc b. f. possessor restituit fructus pendentes, & hunc in
casum proprie leges disponunt, sumtus ei a domino esse
refundendos.

ρ) Solum enim bonam fidem non esse causam fructus rei alienae
adquirendi, vel inde pater, quod erronea alterius persuasio
licet verisimilitudine firmata jus domini minuere nequeat. —

σ) Quid autem, si inde concluderes, b. f. possessorēm fructus
quoque penitus consumtos restituere debere? Mala felicet
esse

se potius facultas consumendi pro effectu bonae fidei est habenda. Quodsi igitur b. f. possessor fructus in forma adhucdum extantes, quatenus exinde locupletior factus est, non suos faciat τ), nulla

esset consequentia; partim enim hoc in casu non ditescitur cum iactura domini, partim autem, cum iura referamus unice ad objecta, haecque in dicto casu non amplius, nequidem aequivalenter, extent, per ejusmodi consumtionem b. f. possessorem jns novum adipisci perperam afferitur.

- τ) Nisi & hos b. f. possessori indistincte adquiri putas cum MADINHO diff. alleg. §. 7. & 8. quamvis etiam in argilla vili, ut hic in falsis, artificem cognoscas. Hanc autem violentam ejus sententiam magis singularitatis studium, quam veritatis prae se ferre, quilibet vel absque meo digito intelligit, & tantum abest, ut assensum vix ambiguum mereatur, ut potius l. 22. C. de R. V. aperte contradicat, nisi claris ejus verbis sanoque sensu vim inferre velis. Difficile mihi non esset, adglomeratas ibi abolere rationes, quies exorbitantem hanc opinionem defendere molitus; sed haud necesse reor, partim quia neminem, quod scio, asseclam hucusque nactas omne contra jurisconsultorum agmen solus pugnat, partim mea ex opinione b. f. possessor ad fructus adhuc extantes etenus solum tenetur restituendos, quatenus

verum

nulla sane ratione sat praegnanti ab illorum restitu-
tione, quos consumendo ditior evasit, libe-
ratur.

verum inde lucrum cum detrimento domini sentiret, ita, ut
ipissima MADHNI argumenta meos in usus aliquali modo
convertantur, —

CAPVT

C A P V T III.

§. I.

Non sufficientibus forte hisce argumentis, ut
putem, gravissimis, ut, quam defendere
molior, sententia omni, qua fieri potest,
examinatur dubio, momenta in contrarium adferri
solita nunc refellenda veniunt.

Primo igitur agendum est cum iis, qui ipsa
illa, quae ex aequitate naturali desumuntur, ar-
gumenta infringere conantur. LEYSERVUS l. c. ne-
gat, b. f. possessorem non restituendo fructus vir-
tualiter extantes cum damno domini ditescere.
Sed metuo, ne vir celeberrimus petitionem, quam
vulgo dicunt, principii committat. Ideo enim
ex ejus mente b. f. possessor hoc in casu non cum
detrimento domini locupletatur, quia fructus hi
consumti, de quorum tamen restituzione quaeri-
tur, b. f. possessoris sunt, aut, quod eodem re-
dit, quia domini jactura justa est. — Eundem
fere in modum ratiocinatur VINNIUS Sel. quaest.

L.

L. I. c. 26. "Ratin est, quia non alienos, sed suos consumit: & cum nunquam domini fundi fuerint, non potest dici, rem domini ad eum pervenisse eumve ex aliena re locupletatum." v) Verum hoc idem esse, ac ipsum, de quo controvertitur, momentum probationis loco postulare, quis non intelligit? Aut cur doctissimi hi duumviri istam rationem, qua b. f. possessorem a restitutione fructuum virtualiter extantium immunem praedificant, non aequa ad fructus, qui in forma adhuc superfluit, ei tribuendos adhibuere? Nimirum b. f. possessor non praecise propter consumptionem fructus suos facit, (prout recte sentit MADHNVS caeteroquin nobis inimicissimus) cum causa alia praecedere debeat, cur eos sibi adquirere, & quod inde consequitur, jure consumere possit. Quodsi itaque juxta placita horum doctorum b. f. possessor fructus in forma adhuc superstites re-

Ri-

v) Idem WERNHERO placet I. c., qui caeteroquin hoc in argumento VINNIVM continuo exscripsit,

stiuat, nulla sat efficax ratio reddi poterit, cur non & domino rependat illos, per quorum consumtionem cum jactura ejus locupletatur.

§. 2.

Audiamus etiam veteranum quandam Themidis sacerdotem, THOM. HOLZCLAV, qui in Tract. de jur. & justit. C. 4. art. 3. p. 158. hisce nobis insultat argumentis: 1) Principium juris naturalis: *Nemo debet ex re aliena locupletari, & res clamat ad dominum*, commode explicatur de m. f. possessore, qui, cum conscientiam habeat rei alienae, ab hac ipsa injustae suae possessionis arguitur, ideoque rem clamare in proverbium abiuit. — En novam plane & ad hunc usque diem prorsus inauditam juris interpretationem! cui omnes juris naturalis doctores ita calculum suum non addunt, ut nulli unquam in mentem venerit, b. f. possessori cum alterius damno se locupletandi facultatem esse concedendam. Et ne nil dixisse videar, ipsam viri pientissimi distinctionem denuo distinguo: Axioma istud de solo m. f. possessore

com-

commodo explicatur iis, qui contrariam defendunt opinionem, quod plena manu largior; sed hoc rite fieri, cum omnibus iisque excellentissimis juris naturae doctoribus φ) continuo nego. — Ad alterum quod respondeam, vix mihi suppetit. Cum enim in re seria ludendi verbis animus non sit, illud ex conscientia tam longe petitum *clamare* missum facio.

Mox laudatus author adhuc longius progeditur, dum id, quod alii de jure naturali certum esse dicunt, b. f. possessorem ad restituendos fructus virtualiter extantes obligari, *stante praesenti juris positivi dispositione* negat. Quasi vero jus naturae, de cuius effato hic unice quaeritur, proprium suum forum non haberet! — Verum haec tanta non sunt, ut diutius iis immoremur; si enim unquam, sane hic ineptiae (pace hujus viri dixero) ineptiis cumulantur. —

§. 3.

φ) Vid. Cap. I, §. 4, not. β, ibique alleg. authores.

Sed nunc illis quoque respondendum erit, qui ad evertendam hanc assertionem in jure romano praesidium quaerunt. Quodsi ei, quam stabilire sum conatus, de fructibus a b. f. possessore restituendis theoriae subscriptis, facilissimo negotio adversariorum rationes ex legibus petitae maximam saltem partem abolentur. Cum enim juxta ea, quae Cap. II. §. 1. deduxi, b. f. possessor illos solummodo fructus restituat, quorum proxime ex re pervenientium perceptione cum damno domini ditesceret, omnes omnino leges, quae mox restauit, mox pleno jure extantes fructus ab eo adquiri statuunt, combinare licet, si secundum dictum aequitatis naturalis explicitur. Quod utique necessario fieri debet, cum praesumi nequeat, legislatorem contra eam aliquid sancire voluisse. Neque notum illud juris axioma, praesumptionem cedere veritati, hic quidquam efficit, quia veritas, juris romani conditores hac in re jus naturae immutasse, in tanta legum ambiguitate earumque

vel

vel maxime clararum vicissitudine ac discrepantia haberi nequit. — Restituit igitur b. f. possessor fructus in forma adhucdum superstites, in quantum factus erit ditior; cumque tam ex natura rei (Cap. I. §. 3.) quam juxta leges positivas (Cap. II. §. 2.) sub iis quoque, qui in virtute duntaxat existunt, comprehendantur, ab horum etiam refusione non immunis est. —

§. 4.

Ne autem gladio solvisse nodum videar, his omnibus renuncio, ipsa legum, quae huc faciunt, interpretatione communem rem cum adversariis facturus. Ubi praemonendum esse censui, scriptores vix non omnes, qui in alia abeunt, uno altero excepto, diligentissimum in colligendis legibus VENNIVM ita exscriptisse, ut ejus præcipue argumenta negotium nobis faceant.

§. 5.

En! ipsam illam, in qua potissimum posui fiduciam, legem 23. m. de adim. vel transf. leg.

C

hag

hac interpretantur ratione, ut eam duntaxat de
b. f. possesso haereditatis, quippe in qua tan-
quam jurium universitate pretium in locum rei suc-
cedat, loqui putent; in judicio autem singulari,
ut ecce in rei vindicatione, rem aliter se habere.
Verum a) hujus verba legis, sicut & l. 72. π. de
leg. 2. "Non absimitur, quod in corpore patrimo-
nii retinetur" adeo generalia sunt, ut de sola ju-
rium universitate nequeant intelligi; cumque natu-
ra rei distinctionem hic non admittat, ad res quo-
que singulares adipicanda veniunt. — b) Fac eti-
am, sermonem hic solum esse de haereditate, ni-
hil tamen contra nos efficies, cum §. 2. Inst. de
offic. jud. expresse statuat, *eadem omnia*, si hae-
reditas petatur, intervenire ratione fructuum re-
stituendorum, quae in rerum singularium petitio-
ne locum habeant χ). — c) Quodsi demum haec

Rest. eidem ratione cuncta.

χ) Hunc equidem §. inepte allegari arguit MADIHNVS diffi-
cit. in not. ad §. 6. sed parum apte id probavit. JVSTINI-
ANVS sane judicis officium hac in re aperte sat definit,
dum

cuncta non sufficerint, sane per l. 23. pr. π. de haered. pet. res omnino exhausturit. **VLPIANVS** hic ita pronuntiat: "Utrum autem omne pretium restituere debet b. f. possessor, an vero ita demum, si factus sit locupletior, videndum; finge pretium acceptum vel perdidisse, vel consummisse, vel donasse — ut ita demum computet, si factus sit locupletior." Ex quo adparet, fructus consumtos diei legibus, per quorum consumtionem possessor

C 2 non

dum eadem omnia in iudicio singulari ratione fructuum a possessore domino refundendorum obuenire ordinat, quae in universalis juris esse constet. Quae quidem decisio ita generalis est, ut limitationem salva intentione imperatoris haud admittat. Rem vero penitus conficiunt, quae sequuntur, verba consulto a MADHNNO omissa: "in utraque actione — si — b. f. possessor fuerit, non habetur ratio consumtorum." In iudicio itaque singulari idem obtinet quod ad fructus consumtos, quod in universalis leges sanciunt. Iam vero in haereditatis petitione fructus virtualiter extantes a b. f. possessore sunt restituendi, secundum l. 23. pr. l. 25. §. II. l. 40. §. I. π. de haered. pet. l. 3. in f. π. de condic. indeb. ergo etiam in rei vindicatione. —

non est dicitur effectus, cum hic consumptio opponatur casui, quo locupletior evasit. — Quin imo dicitur tota juris civilis analogia probat, toties debere fieri restitutionem fructuum licet consumtorum, quoties quis cum detimento alius ditescit. Quod ut ne gratis afferere videar, leges ex innumeris aliquas allegasse sufficiat. Huc praeprimis spectant l. 8. C. l. 32. §. 9. π. de donat. int. V. & U. l. 27. §. 1. π. de min. l. 20. C. de jur. dot. &c. in quibus omnibus de universitate iurium sermo non habetur. —

§. 6.

Aliud ad unum omnes contrariae sententiae fautores adferunt argumentum, quo omne tulisse punctum gloriantur. Cum enim ea sit indeles iurium universitatis, ut pretium in locum rei succedat, l. 16. §. 5. l. 25. §. 18. π. de haered. pet. rerum autem singularium longe alia sit conditio; fructus virtualiter extantes in harum vindicatione a b. f. possessore non esse refundendos oppido concludunt. — Ast quid miserum hoc

sub-

subtilitatis romanae dicterium obtortoque velut
collo saepius accersitum dictamen rationis abole-
bit? Eadem sane conclusione inde sequeretur,
neque m. f. possessorem ad fructus hos restituendos
esse obligatum. — Deinde nulla sat gravis
ratio disparitatis reddi potest; b. enim f. posses-
sor, dum locupletior cum jactura domini existit,
non ob qualitatem rei possessae, sed propter ae-
quitatem naturalem ad restitutionem tenetur. —
Neque adeo expediti juris est, in rebus singulari-
bus pretium in rei locum haud succedere, cum
contrarium ex l. 15. l. 26. §. 12. l. 65. §. 8. π. de
condict. indeb. ψ) & ex l. 23. π. de reb. cred. erua-

C 3

tur,

¶) VENNIVS in Comm. ad Inst. l. c. hasce leges suae opini-
ioni adversarias ita interpretatur, ut in conditione in-
abitu fructus consumtos, quatenus accipiens ex iis dictior eva-
sit, jure solum obligatiōis restitui debere pateret. Verum,
si quid video, haecce verba admodum ambigua & solium
modo dicendi causa dicta cum habent sensum, quod obli-
gatio restituendi fructus ex quasi contractu hic descendat,
aut quod accipiens tam ex lege quam re ipsa obligetur. Non-
ne vero hoc idem obtinet in restitutione fructuum a b. f.

pot.

tur, in qua posteriore praesertim AFRICANVS sequentem in modum respondet: "Si eum servum, qui tibi legatus sit, quasi mihi legatum possederim & vendiderim, mortuo eo, posse te mihi pretium condicere, Julianus ait, quasi ex re tua locupletior factus sim." — Sic etiam ille, qui bona fide materiam alienam specificavit, licet materia in aliam formam redacta a legibus pro consumpta habeatur ^{w)}, ejus tamen pretium, in quantum inde ditione existit, domino refundere tenetur ^{aa)}, cui hanc ob causam actio in factum est concessa ^{bb)}. —

Accē-

possessore domino facienda? Ecce tibi! priore rursus difficultate adversarii laborant. Obligationem enim b. f. possessoris ex jure naturali derivari, satis superque demostratum puto; an autem etiam a lege civili confirmata sit, nunc aequo discentimus.

^{w)} §. 26. Inst. de R. D. ibi: "extinctae" l. 23. §. 5. π. de R. V. "consumi".

^{aa)} Conf. HELLFELD jurispr. tor. §. 454. edit. SCHNEIDT.

— HEINECCIVS elem. jur. civ. Tit. de A. R. D. §. 187.

— HÖPFNERVS Comm. in Inst. §. 322. p. 270. edit. 3.

^{bb)} l. 23. §. 5. π. de R. V.

Accedit, doctorum hac de re opiniones pari numero esse divisas, ut adeo non ita certum sit ac indubitatum, in rebus singularibus pretium in rei locum haud succedere *cc).* — Siqua demum vis decidendi huic axiomati sibi non constanti fuerit confidenda, id vel maxime inferri poterit, fructus virtualiter extantes dominum non ea ratione posse vindicare in judicio singulari, ac si in forma adhucdum essent superstites; neutquam vero hinc concludendum erit, b. f. possessorem ab eorum restitutione prorsus liberari, cum multae rationes eaeque graviores id prohibeant. —

§. 7.

Verum ad infringenda ea, quae praecedenti §. diximus, adversarii reponunt, domino ratione horum fructuum nullam actionem proditam esse a legibus, cum potius §. 35. Inst. de R. D. expresse dicat, eum, si postea supervenerit & fundum vin-

C 4

dicet,

cc) Conf. HUBERVUS prael. ad Inst. de R. D. n. 48. ibique alleg. SANDIVS L. 3. tit. 15. def. 1. —

dicet, de fructibus a b. f. possessore consumptis
 agere non posse. — Sed non desunt, quae uber-
 time replicemus. 1) Ex supra dictis satis patet,
 sermonem hic duntaxat esse de fructibus omnino
 consumptis, de quibus dominum non posse agere
 oppido concedimus. — 2) Totus hic §. cit. de
 actione solummodo reali loquitur, adeoque, cum
 verba legis ad casum ibi enarratum restringenda
 sint, hanc solam domino denegat, quod quidem
 re non amplius formaliter extante in dubium vo-
 carci nequit. — 3) Quamvis sumptus in praedium
 erogatos nulla actione b. f. possessor petere queat
 a domino rem suam vindicante, per officium ta-
 men judicis eos poterit nancisci, juxta l. 48. π.
 de R. V. ergo a pari, domino fructus virtualiter
 extantes hoc modo servari quoque possunt, ita,
 ut non de genere actionis hic proprie quaeramus,
 sed de obligatione b. f. possessoris, hosce fru-
 ctus restituendi. Proin licet dominus de iis agere
 non possit actione civili, qualis est rei vindica-
 tio aut condicatio ex lege, actio tamen in fa-

ctum

Cum *dd*) aut saltem imploratio judicis ei non est ademta, cum jus romanum non praesumatur eam penitus sustulisse, nisi id evidenter constet. —

§. 8.

Provocant ulterius ad l. 4. §. 2. π. fin. reg. quae b. f. possessorem fructus consumtos sanctiat lucrari hisce terminis: "Aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit; aut mala fide, & condiciei oportet." At cum secundum ea, quae superins deduxi, ii tantum fructus consumti nuncupentur legibus, ex quibus nihil omnino superest, quorum proin consumtione possessor non evasit locupletior, lex dicta contra eam, quam stabilire molior, opinionem frustra excitat. — Sed urgent suum ex hac lege argumentum, ita, ut eam necessario de fructibus, qui in

C 5. s. 1. vir-

dd) Praesertim quia l. 23. §. 5. π. de R. V. hanc actionem rei vindicationi tanquam remedium ad fine cohaerere innuit, dum in omni casu, quo ad exhibendum aut in rem non licet agere, necessaria esse dicitur. —

virtute adhuc lumen extent, interpretandam esse arbitrentur; quia b. f. possessorē ex fructibus omnino consumtis lucrum capere nulla proprietate verborum dici queat. — Verum enim vero, duplex in jure romano occurrit notio lucri; mox enim positivum patrimonii augmentum indicat, ut in l. 30. π. pro socio; mox alia plane ejus definitio eruitur, prout ex l. 2. §. 1. π. de in diem addict. quae emtorem, cui res in diem est addicta, lucrari fructus ait, quos tamen in l. 6. pr. eod. alio plus offerente venditori refundere jubetur. Videamus itaque, quo jure lucrum in l. 4. §. 2. π. fin. reg. non praecise de vero ac absoluto bonorum incremento interpretetur. In hac sane lege b. ac m. f. possessor sibi invicem comparantur. Hunc autem fructus quoque penitus consumtos debere domino restituere, inter omnes convenit; secus vero b. f. possessor, qui illud tantum reddere tenetur, quo locupletior existit; & in hac relatione, cum fructus, quos omnino consumsit, haud restituat, lucrari eos recte dicitur, ut adeo lucrum duntaxat respectivum hic intelligamus. —

Deinde

Deinde legum linguam saepissime non tam exquise propriae esse, ut omnem crism philosophicam sustineat, neminem, qui corpus juris levitantum oculo perspicerit, latere potest. Nimirum ubi res aprica prostat, verba legis non captabis. —

§. 9.

Inter leges ad speciem nobis maxime obstantes, in quibus alterius sententiae cultores afferationis suae patrocinium exquirunt, praे omnibus hoc pertinet l. 4. §. 19. π. de usucap. & usurp. "Lana ovium furtivarum, siquidem apud furem detensa est, usucapi non potest. Si vero apud b. f. emtorem, contra; quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emtoris fit. Idem in agnis dicendum, si consumti sint." Verum α) si hanc legem ex mente adversariorum ita interpreteris, ut fructus b. f. possessor percipiendo statim irrevocabiliter suos faciat; inversa sane ratione inde foret concludendum, eum a restitutione fructuum quoque in forma adhucdum existentium im-

munem

munem esse, quod tamen ob l. 22. C. de R. V.
 praeter MADIHNVM nemo dixerit. — β) Cum b.
 f. possessor tanquam dominus a legibus conside-
 retur, res etiam ipsa ita *statim* ejus sit, ut ad
 usum jure exercendum usucapio ei non sit necessa-
 ria; nihilominus tamen *eam* domino comparenti
 restituendam esse, ad unum omnes largiuntur.
 Hac nimirum significatione vocabulum *statim* in
 jure romano saepius occurrit, quin jus irrevoca-
 bile resultet, ut in l. 28. pr. π. de usur. l. 48. pr.
 de A. R. D. quae quidem ultima fructus *statim*, ubi
 a solo separati fuerint, b. f. emtoris fieri enunti-
 at, cum tamen percipiendo *interim* duntaxat suos
 facere paulo ante prohibetur. — γ) In lege illa
 dparenter nobis inimica denuo discrimin bonae
 inter & malae fidei possessorem indicatur, ita, ut
 hic neque usucapere neque percipere fructus possit.
 Longe autem melior est conditio b. f. possessoris;
 facultas enim fructus praescribendi ipsi competere
 afferitur; quin imo! bona ejus fides jus ei super-
 addit, fructus *statim* ab initio percipiendi, ut adeo
 ad acquirendum revocabile eorum dominium usu-
 capione

capione opus non sit. — d) Quamvis demum consumtioni, quod dicunt, vis eadem hie tribuitur ac usucaptioni, nihil tamen inde contra nos eruitur; hoc enim solum recte inferes, b. f. possessorem eodem jure consumere posse fructus, quo eos usucapit. Perperam autem hinc concluderis, quoad restitutionem nullam quoque superesse differentiam. Praeterea cum lex citata, prout ex verbis ejus ultimis elucet, de fructibus solummodo consumtis, id est, de iis, per quorum consumptionem possessor non est factus locupletior, loquatur, eundem plane effectum esse consumtionis, quem usucapio producat, concedere non dubito; b. enim f. possessor neque usucaptos neque fructus penitus consumtos restituere tenetur ee).

§. 10.

En aliud priori vicinum adparenter contrarium nobis argumentum, quod adversarii in l. 13. in f. π. quib. mod. ususfr. vel us. amitt. reperire sibi arbit-

ee) Conf. SALZMANN diff. cit, §, 28.

arbitrantur: "Julianus ait, fructuarii fructus tunc fieri, cum eos percepere, b. f. autem possessoris, mox quam a solo separati sint." Ex quibus temere concludunt, b. f. possessorem, quia fructuario comparetur, fructus virtualiter extantes irrevocabiliter adquirere. Sed cum eadem plane ratione deduci inde posset, eum quoque fructuum, qui in forma adhuc supersunt, dominium irrevocabile nancisci, nimia est haec conclusio adeoque lex alio prorsus sensu interpretanda. Nimirum sermo hic duntaxat incidit de jure transmissionis in haeredes, quod fructuario, siquidem ususfructus tanquam servitus personalis cum ejus morte exspirat, tunc demum competere sancitur, si fructus ipse met percepere, secundum l. 8. in f. π. de ann. leg. ac §. 36. Inst. de R. D. — B. autem f. possessor fructus, utut a fundo separati fuerint, sive a se, sive ab aliis, in haeredes suos transmittit, & in hac relatione l. 25. §. 1. π. de usur. eum plus plus juris habere afferit, quam fructuarium, quod utique a vero maxime abludere, si de adquirendo

rendo irrevocabili dominio quaestio decidetur.

§. II.

Neque ullius ponderis sunt, quae proferunt ex l. 28. pr. π. de usur. "In pecudum fructu etiam foetus est. — — Itaque agni & hoedi & vituli statim pleno jure sunt b. f. possessoris." Id autem, quod pleno jure meum est, non potest dici, omnimoda demum consumtione irrevocabiliter adquiri. — Ast cum hic rursus sequi natum foret, b. f. possessorem vel a restitutione fructuum formaliter adhuc superstitem immunem esse, lex dicta aliam plane sui interpretationem desiderat. Scilicet qui b. f. possessori fructus interim perceptos pleno jure addicit, non continuo hoc ipso negat, jus illud duntaxat esse revocabile, prout VINNIUS in Comm. ad Inst. l. c. ex l. 29. §. 1. π. qui & a quib. manum. eleganter infert ff), ubi

servus

ff) VINNIVM quidem hic in propria sua viscera saevire ar-

servus sub conditione legatus ea pendente *pleno jure* haeredis esse dicitur, quem tamen, si extiterit, extradi legatario deberet, noti juris est.

§. 12.

guit MADIHNVS diff. alleg. in not. ad §. 7. eoquod, licet conditione existente dominum haeredis in servum resolvatur, legatario tamen ea, quae pendente conditione per servum adquisiverit, haud restitut. Hinc concludit, neque b. f. possessorem, quamvis domino supervenienti ipsam rem extradat, ad refundendos fructus interim perceptos obligari.

— Verum, amphora hic coepit institui, emerenterota curvatus exit? VINNIUS ex hac lege id usice probare intendit, per jus plenum non semper irrevocabile indicari, adeoque l. 28, cit. ita esse accipiedam, ut b. f. possessori ratione fructuum eadem omnia *interim* agere queat, quorum alias facultas soli domino competeteret. — Dein nec MADHNVS, id quod voluit, b. f. possessorem extantes fructus irrevocabiliter suos facere, ostendit, dum potius sibi met ipsi adversatur. Ingens enim intercedit disparitas inter legati sub conditione reliqui fructus ab haerede interim perceptos, atque illos, qui apud b. f. possessorem comparent domino supersunt. Nam legatarius ex ipso testatoris intentione non prius jus in re legata, quam impleta conditione, maneficitor; proinde fructus quoque interim enatos adquirere

non

Mitto caetera, quae in contrarium trahuntur, argumenta, quo pertinet l. 136. de R. J. ex qua tantundem bona fides praestat possidenti, quantum veritas; l. 25. §. 1. π. de usur. quae ipsi idem jus in fructuum perceptione afferit, quod praediorum dominis tributum est; & hujuscemodi alia, quae quidem cuncta ex praecedentibus abunde diluuntur, ac ideo tanta non sunt, ut iis dissolvendis lectorem fatigemus. — Nec majoris sunt momenti, quae adversarii ex sola ratione acute magis quam efficaciter derivant. Quo spectat illud FACHINEI gg), hanc, quam nos defendimus, opinionem solummodo favere b. f. possefori prodigius viventi, cum parcus e contrario

nil

non potest. Jus autem domini in sua re ipsi nunc reddenda semper manfit radicatum, ergo etiam fructus a b. f. posseforo interea percepti adhucque existentes ei sunt restituendi.

gg) Contr. L. 1. c. 58.

D

nil commodi sentiret, ad restitutionem fructuum
in valore adhuc existentium obligatus. Nam hoc
saltem emolumentum sua ipsi praebet parsimonia,
quod fructus praescribendo irrevocabiliter nancisci
possit *hh*). — Tandem parum quoque prodest
WERNHERO ratio politiae, modum computandi ac
aestimationem, in quantum b. f. possessor sit fa-
ctus locupletior, esse difficillimam, adeoque lites
pene immortales necessario oriri, si fructus vir-
tualiter extantes essent domino restituendi. Quam
gracilis enim inde consequentia deduci potest!
Certe etiam computatio ejus, quod interest, ac
praestatio culpae difficilioris saepe sunt indaginis,
neque tamen unquam viri rei forensis gnari intule-
rerunt, eas esse penitus e foro proscribendas.
Nimirum jurisperiti est statuere, quid in substan-
tia juris sit, reliqua prudenti judicis arbitrio re-
licturi. —

§. 13.

*hh) Quo modo b. f. possessor etiam ex fructibus omnino con-
sumatis commodum habere queat, egregium omnia exemplum
videsis apud PFLAVMIVM diff. alleg. §. 68.*

§. 2.

Haec igitur sunt, quae super quaestione susque deque agitata differendi animus fuit. Quae quidem cuncta argumento esse possunt, quam amplum litibus campum viamque tricis pandat jus romanum, in quo centenae leges ad Themidis lancem ex aequo moderandae inveniuntur, quarum repugnantes sibi invicem decisiones sanaeque rationi saepius contrariae effecere, ut doctores plurimi clamando rixandoque misere docerent, hanc que ratione affirmationibus & negationibus, divisionibus & subdivisionibus, regulis & exceptiōnibus ac demum legum captatoria interpretatione totum illud corpus, quod dicunt, juris animae expers nihilque nisi chaos redderetur, cuius hac de causa emendationem cordatores viri piique omnes diu jamdum exoptarunt. —

ii) Conf. LVD. ANT. MYRATORI de jurisprudentiae naevis,
edit. Hippew, p. 17.

12
Herrn J. F. Müller von der Universität Halle und
seiner Frau, die sehr lieben und geschätzten Freunde
der Universität und der Wissenschaften sind, und
ihnen zu danken für die sehr angenehme und
fruchtbare Unterhaltung, die sie mir in Halle
gewährt haben. Ich habe mich sehr darüber freut,
dass Sie sich so sehr für meine Arbeit interessiert
haben und mich so sehr loben. Ich hoffe, dass Sie
mir bald eine Nachricht schicken werden, ob Sie
die Arbeit gelesen haben und was Sie davon
denken. Ich hoffe auch, dass Sie mir bald eine
Nachricht schicken werden, ob Sie die Arbeit
gelesen haben und was Sie davon denken.

Universitätsbibliothek der Universität Halle

DFG


Md 1006ⁿ

ULB Halle
006 609 279

3



VON 18





B.I.G.

DE
57
RESTITVTIONE FRVCTVVM

VIRTVLITER EXTANTIVM

DOMINO REM SVAM VINDICANTI

A

SONAE FIDEI POSSESSORE

FACIENDA

P I S S E R I T

JOSEPHVS ABRAHAMVS STALPF

LICENT. NEC NON ALMAE IVLIO - DVCALIS
UNIVERSITATIS SYNDICVS.

Kd. 1006 =

W I R C E B V R G T

ostat apud FRANC. XAV. RIENNER.

M. DCC. XCIII.

V